

40  
DISPUTATIO FEVDALIS

QVARTA:

EX SECVNDO LI-

BRO SCHOLARVM FEV-

DALIUM DESUMTA:

ET IN INCLYTA ARGENTO.

*ratensium Academia publici exercitij*

*causa proposita.*


à

GEORGIO OBRECHTO IC.

*Respondente*

NOBILISSIMO Dn. IOANNE GEOR-  
GIO à RIBBECK MARCHIACO.

Disputabitur mense Maio.



ARGENTORATI

Excudebat Antonius Bertramus Anno,

M. D. XCVII.

ILLVSTRISSIMO

POTENTISSIMOQ. PRIN-  
CIPAC DOMINO, DOMINO

IOHANNI GEORGIO, ELECTO-  
RI BRANDEBVRGICO

A CONSILIIS

ILLVSTRI ET GENEROSO CO-  
MITI ET DOMINO, DOMINO

IOHANNI CASIMIRO COMI-  
TI DE LYNAR, DOMINO ET  
Patrono suo colendo:

HANC DISPVATIONEM FEVDALEM QVARTAM  
SVBMISSÆ OBSERVANTIAE  
MONVMENTVM

LVB. MERITOQ.

D. D. D.

IOANNES GEORGIVS à RIBBECK.

DISPVATIO QVARTA:  
EX SECVNDO LIBRO SCHO-

LARVM FEVDALIVM DESVMPTA:

DE SVBIECTO FEVDI,  
CAPVT SECVNDVM  
Thesis I.

**C**ognita feudi causa efficiente, & principè cogni-  
tis ijs, qui alijs feuda dare, vel non dare possunt:  
non malè explicatio subiecti sequitur: qui ni-  
mirum feuda accipere, vel non accipere valeant.

2. Frustra enim essent qui darent: nisi quoq; essent,  
qui acciperent: quia dantium & accipientium est mutua  
relatio: ut alij, sine alijs, esse non possint.

3. Accipere autem feuda alij suo, alij alieno nomine  
possunt.

4. Suo nomine qui accipiunt, plerunq; fideles, vasalli,  
milites, clientuli & milites vasalli appellantur lib. 1. F. tit. 1. §.  
antiquissimo, cum §. seq. tit. 23. tit. 10. & lib. 2. F. tit. 21. cum  
seq.

5. Et hi vel mares sunt, vel femina.

6. Mares vel liberi sunt, vel serui.

7. Liberi rursus, vel sunt personæ Ecclesiastica, vel  
seculares.

8. Personæ Ecclesiastica, cuiuscunq; sint ordinis, rectè  
feuda accipiunt.

9. Nec refert accipientem esse Superiorem dante:  
quia eo ipso Superioris auctoritati nihil detrahatur: sed tan-  
tum eius commodum augetur.

10. Hinc

10. Hinc qui inter Ecclesiasticos summus in mundo habetur Pontifex, ab Ecclesijs, ab Imperatore, à Regibus, & quovis alio feuda accipere potest no. *Sonsbecc. de F. p. 7. n. 1.*

11. Hinc etiam feuda accipere possunt Archiepiscopi, Episcopi, Abbates & alia Ecclesiastica persona lib. 2. F. tit. 40. §. *vl. c. ex transmissa è de foro comp. no. Zas. de F. p. 5. n. 71. cum seq. & Vesenb. de F. c. 5. n. 2.*

12. Et nihil impedit, quod Clericus à Laico investitus, illius se jurisdictioni subiciat, contra c. si diligenti. è. d. tit. de fo. comp.

13. Etsi enim hac sententia jure Pontificio regulariter vera sit: quia hoc beneficium non personis, sed ordini Ecclesiastico est tributum. no. *Gail lib. 1. obs. c. 40. n. 7.*

14. Tamen hac regula in feudo exceptionem admittit. Nam ratione feudi, Clericus coram Laico, hoc est coram Domino feudi, vel Paribus Curia, rectè convenitur sec. *Gail. d. lib. 1. obs. c. 37. n. 3. Mynsinger. obs. cent. 1. c. 22. & Clar. in commun. sent. §. feudum: quia eo ipso quod à Laico feudum accepit, se eius jurisdictioni subiecit.*

15. Nec insciamur, plerunq; feudum in militari labore consistere lib. 2. F. tit. 7.

16. At simul verum esse dicimus, feudum in percipiendis fructibus versari.

17. Ex quo statuimus, perceptionem fructuum Clerico esse permissam: quia feudum accipere, & ita rebus in feudo datis uti frui potest lib. 2. F. tit. 40.

18. Non autem militaria officia ei esse imposita: quia à militaribus laboribus immunitatem habet. lib. 2. F. tit. 21. & quia ei ex gratia conceditur, ut per Substitutum militaria servitia prestare possit, no. *D. Hart. Pistor. question. lib. 2. p. 2. q. 33. n. 23.*

19. Et

19. Et quamvis is, qui Clericus efficitur, vel religionis votum assumit, hoc ipso feudum amittat, lib. 2. F. tit. 26. §. qui Clericus. item tit. 30. & 36. in. fi.

20. Non tamen iccirco admittimus, Clericum hac de causa, nec accipere quog; feudum posse.

21. Magna. n. defferentia esse videtur, inter feudum novum, & antiquum: item inter novi feudi dationem, & antiqui retentionem: quia feudum novum à Domino dante rectè Clericus accipit, d. lib. 2. F. tit. 40. §. *vl. c. ceterum. è. de judic. & d. c. ex transmissa. è. de foro comp. at non rectè antiquum feudum retinet d. lib. 2. F. tit. 21.*

22. Ratio differentia est: quia priori casu Dominus sibi imputet, quod Clerico, qui servitia per se prestare nequit, sciens feudum concessit.

23. Hoc enim ipso ei gratiam fecisse censetur, ut per Substitutum serviat, no. *D. Hart. Pistor. d. lib. 2. q. 2. q. 33. numero 27.*

24. Sciens dicimus: quia si nescit esse Clericum, non immeritò feudi à se dati renocandi facultatem habere debet not. *Schrader. de F. p. 4. c. 3. n. 7. quia tum superior prohibitionis ratio cessat.*

25. At posteriori casu nihil danti imputari potest, quod vassallus, post dationem feudi, Clericus est factus. Hoc enim divinare non potuit, no. *D. Vult. de F. lib. 1. C. 4. numero 9. §. nec obstat.*

26. Itaq; tum non immeritò per Substitutum servitia prestare nequit: quia hac ei gratia à Domino dante nullo modo concessa intelligitur:

27. Sed potius feudum, quod habuit amittit: quia desinit esse miles seculi, qui factus est miles Christi d. lib. 2.

A 3.

F. tit. 21.

F. tit. 21. & plura tradit D. Hartm. Pistor. d. q. 33. Et hac de personis Ecclesiasticis,

28. Seculares libera persona, cuiuscumq; sint ordinis, vel conditionis, regulariter rectè feuda accipiunt: quia regulariter quilibet ab alio rectè beneficia accipit: cum nihil magis homines deceat, quam inter se beneficijs certare.

29. Hinc qui inter Seculares summus est Imperator, à quibusvis rectè feuda accipit, no, Sonsb. de F. p. 7. n. 1. Schrader. de F. p. 4. c. 3. n. 11.

3. Ita Imp. Carolus V. fuit Imperij Vasallus, ratione Ducatus Mediolanensis, & Geldria.

31. Idem fuit Vasallus Regis Gallia, ratione Flan-dria, Atrebata, & Hennegau.

32. Idem quoq; fuit Romani Pontificis vasallus, nomi-ne Regni Neapolitani, Sicilia, Arragonia, Corsica, Sardi-nia, & Insularum Canariarum, no, D. Vult. de F. lib. 1. C. 4. no. 10.

33. Sic etiam Rex Scotia est vasallus Regis Anglia: & Rex Dania, ob partem Holsatia, est Vasallus Imperij: et con-sequenter ratione huius feudi, non autem ratione domicilij, est subditus Imperij, Sec. Cardinal. in Clem. 2. §. deniq; in pr. de sent. & re jud.

34. Hinc autem multò magis Inferiores, à Superiori-bus feuda accipere possunt: Velut in Imperio Romano pleriq; Principes, & Comites sunt Imperij Vasalli.

35. Sic quoq; pleriq; Principes, ab Episcopo Bamber-gense, & plurimi nobiles, ab Imperij Principibus, & Comi-tibus feuda obtinent.

36. Imò etiam Rustici, à quibuscumq; rectè feuda acci-piunt, Sec. Afflict. lib. 1. F. tit. 1, no. 8. & Zas. de F. p. 5. no.

68. quia

68. quia iure Feudorum non reperiuntur prohibiti.

37. Generaliter autem hoc iure cautum est, Feuda omnibus dari posse, qui accipere non prohibentur, lib. 2. F. tit. 26. §. si minori, & no. Sonsbecc. de F. p. 7. no. 1, item Moz. de F. de his qui feuda dare pos. no. 27. Vers. Videamus

38. Ex quò ut melius constet, qui nam ex liberis ho-minibus non prohibeantur feuda accipere, dicimus alios le-gitimè natos, alios non legitimè natos esse.

39. Legitimè autem nati rursus, vel per accidens vi-cio aliquo laborant, vel nullo laborant vicio.

40. Viciū aliud est animi, aliud Corporis.

41. Animi Viciū, vel in crimen degenerat, vel non degenerat in crimen.

42. In crimen animi Viciū nobis degenerare vide-tur, si quis in heresin incidit, vel si publicum aliquod cri-men committit.

43. Et tales, feuda accipere posse negat Ioan. Blancus de F. no. 11. & 12.

44. Et rectè. Nam Heretici non solum bona quæ ha-bent, ob heresin amittunt: sed etiam alia acquirere non pos-sunt. l. Manichæos 4. C. de heret. & Manich.

45. Idem de proscriptis seu bannitis sentimus: quia in his etiam jam dicta ratio locum habet l. 2. C. de bon. pro-scriptor.

46. At de alijs qui capitale crimen admittunt, eorū nomine condemnantur, an idem dicendum sit, nonnulli dubitant.

47. Nos idem de ijs indistinctè affirmamus.

48. Si n. Capitali crimine condemnati ultimo sup-plicio afficiuntur, nulla amplius feuda accipere possunt:

49. Si non

49. Si non afficiuntur, indigni tamen videntur, qui feuda accipiant: ne quis magis sceleratis, quam honestis viris delectari & benefacere videri velit.

50. Et sanè ab eo malè fides exigitur: qui ab omnibus fide carere putatur: Et hæc si vicium animi in crimen degenerat.

51. In nullum crimen animi vicium degenerat, si simplex animi vicium manet.

52. Et hoc fit vel ex accidenti, vel à natura.

53. Ex accidenti id fit in ijs, qui furore, vel dementia corripuntur. Hi n. etsi non peccent: tamen vicio animi per accidens laborant: quia per accidens animi rationali parte destituuntur.

54. Unde hi per se feuda accipere non possunt: quia quid loquantur, quid agant, quid ve cum ipsis agatur, non intelligunt: quia, inquam, cum ratione careant, nullum rectè cum ijs negotium geritur l. in negocijs 5. D. de R. l.

55. A natura vero id apparet in infantibus: quia à natura non intelligunt, quid loquantur, quidq; agant: multò minus quid cum ipsis agatur. Non enim hac in re a furiosis multum distant §. sed quod dicimus Inst. de inutil. stipul.

56. Et propterea sicut furiosi per se nullum rectè negotium contrahunt d. l. in negocijs: ita nec infantes per se feuda acquirere possunt sec. Blanc. de F. d. lib. 1. C. 5. n. 3.

57. Nec ad rem facit, si Curatorum, vel Tutorum auctoritas intercedat: quia Curatores, vel Tutores, non possunt furiosorum, vel dementium, vel infantum consensum probare, cum hi nullum habeant consensum.

58. Hoc tamen casu etsi non Curatore, vel Tutore auctore, furiosus, vel demens, vel infans rectè feudum accipiat:

piat: benè tamen id per Curatorem, vel Tutorem faciet, jux. no. Zas. de F. p. 5. n. 2.

59. Curita diversimodè: Quia Curatore, vel Tutore auctore fit, quod fit per furiosum, vel dementem, vel infantem, approbante Curatore, vel Tutore.

60. Non autem Curator, vel Tutor approbare potest, quod non est: quia non entis nulla sunt accidentia.

61. At per Curatorem, vel Tutorem fit, quod solus Curator, vel Tutor, remota furiosi vel dementis, vel infantis persona, facit. l. §. 1. D. de adminif. tut.

62. Itaq; cum Curator furiosi vel dementis, & Tutor infantis commoda promovere teneatur: rectè quoq; uterq; horum nomine feuda accipiet: quia his omnibus acceptio feudi prodesse solet fa. l. si infanti 18. C. de jure delib. & no. Velsenbecc. de F. c. 5.

63. Et tum investitura in Curatoris, vel Tutoris personam est concipienda, sec. Præpos. lib. 2. F. tit. 3. §. personam, n. 2. & ibi Afflict. n. 8. & Zas. de F. p. 5. n. 66. quia solus reuera Curator, vel Tutor, feudum accipit: Et hæc de ijs qui animi vicio laborant.

64. Corporis vicium est, si quis sit mutus, vel surdus, vel cæcus, vel aliàs imperfectus.

65. Et hi novum feudum regulariter accipere nequeunt: quia feudalia servitia præstare non possunt lib. 2. F. tit. 36.

66. Excipimus illum casum, quo Dominus tales esse sciuit: quia sibi Dominus imputet, quod minus idoneis feuda contulit.

67. Nec distinguimus, an hi natura, an verò ex accidente tales sint: quia semper Dominus, ut rerum suarum liberrimus arbiter, ijs feuda dare potuit.

68. Certum n. est, etiam minus idoneis vasallis Dominum gratiam facere posse arg. lib. 1. F. tit. 24. & no. And. de Ifern. & communiter DD. d. lib. 2. F. tit. 36.

69. Et propterea quia minus idoneis vasallis feuda dedit, ijs gratiam fecisse intelligitur, ut seruiant per Substitutum no. Aluarot. & alij d. lib. 2. F. tit. 36.

70. Antiquum v. rō feudum mutus, vel surdus, vel cæcus accipere nequeunt: quia Domino inservire nequeunt.

71. Et sanè ab initio, alicui non imperfecto, hac conditione res in feudum data intelligitur: ut Domino fidem, & servitia præstet lib. 2. F. tit. 3. §. vl. & tit. 23. §. vl.

72. Vbi autem feudum ad imperfectum devolvitur, eò res venit, ut hac conditio impleri non possit.

73. Itaq; non immeritò imperfectus feudum accipere non valet. Sed de hac re commodiori loco plura. Et hæc de legitimè natis, qui aliquo vicio laborant.

74. At legitimè nati, qui nullo animi, vel corporis vicio laborant, vel sui, vel alieni juris sunt.

75. Sui juris sunt Patres familiàs, maiores 25. annis.

76. Et hi, cuiuscunq; sint ordinis, feuda ab alijs accipere possunt, not. Sonsbec. de F. p. 7. n. 5. & nos paulò ante pluribus explicavimus.

77. Alieni juris sunt pupilli, minores 25. annis & filij familiàs.

78. Pupilli vel sunt infantes, vel infantia proximi, vel pubertati proximi §. pupillus, ubi no. DD. Inst. de inutil. stip.

79. De infantibus ante thesi. 55. cum seqq. egimus: quæ huc rependa sunt.

80. At infantia, vel pubertati proximi, sine Tutoribus

ribus rectè feuda accipiunt: quia quid agant, quidve loquantur aliquo modo intelligunt: & quia in obligatione & alienatione, non etiam in acquisitione, Tutorum auctritate opus habent. l. obligari 9. D. de auct. tut. & l. pupillus 11. D. de acq. rer. dom.

81. Nec adversatur, quod hi nec iuramentum fidelitatis, nec debita servitia præstare possint: quia à iuramento iure feudorum excusantur, donec adoleverint. lib. 2. F. tit. 26. §. si minori: & quia servitia per Tutores præstari possunt, d. tit. 26. §. si quis decesserit.

82. Si autem hi per se feuda accipere possunt: ergò multò magis ea cum auctoritate Tutorum rectè accipient. sec. Blanc. de F. c. 5. & Hanneton. de F. c. 6. quia ita melius sibi prospicere intelliguntur, Et hæc de pupillis.

83. Minores 25. annis similiter absq; Curatoribus rectè feuda accipiunt, d. lib. 2. F. tit. 26. §. si minori. no. Zas. de F. p. 5. n. 47. Vesemb. d. F. c. 5. n. & Borchold. de F. c. 5. n. 46. quia per se acquirere, obligari, & fidelitatis iuramentum præstare possunt d. lib. 2. F. tit. 7. & tit. 34. §. & cum datur. & auth. Sacramenta. C. Si adversus vend.

84. Et propterea non est Sonsbeccio astipulandum, qui etiam puberem, sine Curatoris auctoritate feudum accipere posse negat de F. p. 7. n. 13.

85. Si enim pubes, sine Curatoris consensu, rem suam meliorem facere potest: cur non etiam per se feudum accipere possit?

86. Quod si tamen minor rem suam ab alio in feudum vult recognoscere, id ei permissum negamus cum Alex. conf. 9. n. 13. vol. 5. & Menoch. conf. 1. n. 83. vol. 1. quia hæc recognitio est species alienationis, quæ minori est interdicta. l.

magis puto s. D. de reb. eor. qui sub tut. vel cur. Et hęc de mi-  
norib. 25. annis.

87. Filij familias vel sunt naturales & legitimi simul,  
vel sunt legitimi tantum.

88. Naturales & legitimi sunt ex justis nuptijs pro-  
creati: ita dicti, quod natura filij sint, & eius copula, quam  
leges confirmant.

89. Et hi recte feuda accipiunt: quia non reperiun-  
tur prohibiti: & quia pleriq. meliore jure sunt quam serui:  
qui tamen feuda accipere possunt, de quib. i. thesi 130. cum  
seqq. & no. D. Vult. de F. lib. 1. c. 4. n. 8.

90. Nec aduersatur, si is, qui feudum dat, in condi-  
tione errat: ut si putat accipientem esse sui juris, non filium  
familias no. Moz. de his qui feuda dare pos. n. 33.

91. Hęc enim qualitas accipientem non reddit inca-  
pacem. no. Sonsbecc. de F. p. 7. n. 23. p. 5. n. 63. quia sufficit dan-  
tis, & accipientis mutuum consensum circa rem adesse.

92. Hoc verò ab interpretibus controuerti vehemen-  
ter solet, An feudo filiofamilias dato, eius vsusfructus  
patri acquiratur, nec ne?

93. Sunt qui Patri feudi vsusfructum acquiri arbi-  
trantur, ut Bald. in l. cum oportet 6. n. 18. C. de bon. qua lib.  
ubi idem Iacob. de Belluiso sensisse affirmat, Curt. jun. de F.  
p. 3. memb. 2. n. 46. Sonsbecc. de F. p. 7. n. 8. & alij.

94. Cur ita sentiunt? Propter duas rationes: quarum  
prima est, quia hoc casu jure feudorum nihil expresse reperi-  
tur constitutum: Ergo non immerito jus ciuile est obseruan-  
dum lib. 2. F. tit. 1. vers. Strenuus:

95. At jure ciuili hoc casu vsusfructus Patri acqui-  
ritur §.

ritur §. igitur. inst. per quas person. cuiq. acq. & d. l. cum oportet  
C. de bon. qua lib. Ergo.

96. Altera ratio est: quia fructus feudi, non feuda-  
les, sed allodiales sunt. sec. Bald. cons. 33. vol. 1. quem allegat &  
sequitur Curt. jun. d. p. 3. memb. 2. n. 47.

97. At bonorum allodialium vsusfructus ad patrem  
spectat. d. l. cum oportet. Ergo.

98. Hanc tamen opinionem Sonsbeccius in d. p. 7. n. 11.  
& Curt. jun. d. p. 3. memb. 2. n. 47. restringunt in feudo ca-  
strensi, & in eo feudo, quod Imperator, vel Rex filiofam.  
concedit, ne eius vsusfructus Patri acquiratur.

99. Nobis autem verius esse videtur, Patri in feudo  
filiofam. siue in castris questum, siue ab Imperatore, vel Re-  
ge ei datum sit, non acquiri vsusfructum, ut hanc senten-  
tiam probant And. de Isern. lib. 1. F. tit. 1. n. 13. Afflict. lib. 2. F.  
tit. 12. §. si duo n. 16. & communem testatur Præpos. d. tit. 12.  
§. si duo, ab eaq. in consulendo & iudicando non esse receden-  
dum affirmat. Rol. à Valle cons. 71. n. 65. & 66. vol. 2.

100. Feuda enim non censentur allodialium, seu reli-  
quorum bonorum jure: sed eius sunt natura, ut ad ascenden-  
tes non transeant, lib. 2. F. tit. 50.

101. Imò censentur potius jure peculij castrensis, vel  
quasi, arg. l. 1. C. de cast. pecul. quia plerunq. ob militaria ser-  
uitia dantur.

102. At utriusq. peculij vsusfructum Pater non  
habet, d. l. cum oportet 6. C. de bon. qua lib. Ut non immerito  
nec feudi, filio concessi, vsusfructum habere debeat, no. Ve-  
senb. d. F. c. 1. ubi ita recte Zas. sentire scribit.

103. Et sanè non tam jure communi, quam jure feu-  
dorum, conuentio inter Dominum & Vasallum merito pra-  
fertur:

fertur: quia nihil tam congruum fidei humanae est, quam ea, quae inter contrahentes placuerunt, seruare l. 1. in pr. D. de pact. & lib. 2. F. tit. 2. §. vl.

104. At inter Dominum & vassallum hoc conuenisse videtur, ut ususfructus apud filium, non apud patrem esset: quia ita filio datus fuit, ut apud eum, & eius heredes, in perpetuum maneret, & ut filius, non pater, seruitia praestaret, lib. 2. F. tit. 23. in fi.

105. Et propterea haec conventio merito est seruanda: quia alias pater feudi commoda perciperet, & eius incommoda, nempe seruitia, filius sustinere cogeretur, contra l. secundum 10. D. de R. I.

106. Et quia alias feudum is acciperet, cui Dominus dare noluit.

107. Quia denique, alias filius, cui Dominus feudum contulit, nihil ex eo consequeretur.

108. Proprietas enim feudi manet penes dantem d. tit. 23. in fi. at eius ususfructus, contra voluntatem Domini, esset patris: quod merito non est admittendum.

109. Et licet concederemus fructus feudi esse allodiales: non tamen ideo sequi posset, hos fructus ad patrem spectare.

110. Nam etiam castrensis, vel quasi castrensis peculiij fructus sunt allodiales: & tamen non patris, sed filij sunt.

111. Imò etiam illorum bonorum ususfructus, quae extrinsecus filios obveniunt, non ad patrem, sed ad filium eo casu pertinet, quo haec conditio adiecta fuit, Ne ad patrem ususfructus perveniret nov. 117. c. 1.

112. At nostro casu Domini haec voluntas est, ut ususfructus feudi, non patris, sed filij sit, lib. 2. F. tit. 23. in fi.

113. Sic etiam feudum est quadam seruitutis species  
sec. gl.

sec. gl. in l. si ususfructus 16. in pr. D. de usufruct. quia est ususfructus quidam. d. tit. 23. in fi.

114. At quemadmodum seruitutis, filio concessa, ususfructus, soli filio, non etiam patri quaeritur gl. in auth. idem est. C. de bon. qualib. quia seruitutis non potest esse seruitus l. 1. D. de usu & usufr. leg. Ita etiam non immerito ususfructus feudi, soli filio, non etiam patri acquiri debet: Et haec de filijfamilias naturalibus & legitimis simul.

115. Filij legitimi tantum dicuntur, qui non natura, sed lege fiunt.

116. Sicut enim Patres alij sunt secundum carnem: alij secundum legem, teste D. Hieron. in S. Matth. c. 1.

117. Ita & liberi alij secundum carnem, alij secundum legem sunt, veluti liberi adoptivi: quia lege constituuntur l. 3. & l. mulierem 5. C. de adoption.

118. Et hi vel sunt arrogati, vel adoptivi in specie.

119. Vtrique feuda accipere possunt. Ifern. lib. 2. F. tit. 21. in fi. & Alvarot. d. lib. 2. F. tit. 26. §. adoptivus: quia non reperiuntur prohibiti: & quia hoc iure etiam servi feuda accipere possunt d. lib. 2. F. tit. 3. §. personam.

120. Et propterea male Zas. de F. p. s. m. 67. & Moz. de F. de his qui feuda accip. pos. hos feuda accipere posse negant, ut recte no. Intrigliol. de F. q. 58. cum seqq. Et haec de maribus legitime natis.

121. Mares non legitime nati, Spuriij dicuntur.

122. In genere enim omnes illi, qui sine certo patre nati sunt, Spuriij vocantur, item vulgo quæsti, & naturales liberi l. 2. l. 4. D. Vnde cog. l. cum tabulis 16. D. Quae ut indig. §. vulgo Inst. de succes. cogn. l. vulgo 23. D. de statu hom. §. pen. Inst. de nupt. Vip. in Instit. c. 3. Quintil. lib. 3. c. 6. & Festus, in verbo, Nothum.  
123. Horum



123. Horum autem quinque sunt species. Nam alij ex concubinato, alij ex scortatione, alij ex stupro, alij ex adulterio, & alij ex incestu nascuntur, de quib. plura in Scholis.

124. Ex quo oritur quaestio: Anne hi omnes, & singuli, feuda accipere possint, vel non possint?

125. Et hos feudorum capaces esse inde probari videtur: partim quia jure feudorum non reperiuntur prohibiti: & partim quia cuilibet liberum est, de rebus suis pro libitu disponere.

126. Unde videmus Bald. in l. eam quam 14. C. de fidei commis. & Matth. de Afflict. lib. 2. F. tit. 26. §. naturalis. n. 18. simpliciter affirmare: Spurious feuda accipere posse.

127. Nobis autem hac opinio plurimum honestati repugnare videtur: quia tamen, momente Imp. Iustiniano, vel praecipue observanda est, l. si qua illustrius. C. Ad. SC. Orfici-an. Et hac de marib. liberis.

128. Mares servi, vel seculares sunt, vel religiosi.

129. Seculares, vel sunt prisca, vel nostri seculi.

130. Servum prisca seculi feudum accipere posse apparet ex lib. 2. F. tit. 3. §. personam: quia in datione & acceptione feudi status persona non inspicitur. d. §. personam.

131. Hic autem servus, vel proprius est, vel alienus.

132. Si proprius est, tum ei Dominus vel dat. feudum cum libertate: vel sine libertate.

133. Priori casu, eo ipso quod fit liber simul feudi red-ditur capax: quia tum feudalia servitia, praecipue militaria, prestare potest. l. ab omni 11. D. de re mil.

134. At posteriori casu, eo ipso quod Dominus servo feudum tribuit: simul tacite libertatem concessisse intelli-gitur, arg. l. super servis. 6. C. Qui milit. pos. lib. 12. quia alias feudi capax esse nequit.

135. Nec

135. Nec admitti potest, Dominum sibi hoc feudum acquirere: quia inter dantem & accipientem debet esse dif-ferentia l. cu filios. 11. D. de leg. 1. & no. Afflict. d. lib. 2. F. tit. 3. §. personam n. 2. & quia Dominus non sibi, sed servo hoc feu-dum acquisitum voluit: Hac de servo proprio.

136. Quod si servus est alienus, tum vel constat feu-dum dari contemplatione servi: vel contemplatione Domi-ni: vel non constat, cuius contemplatione detur.

137. Si feudum servo ipsius contemplatione, sciente & patiente Domino, datur: ibi feudum a servo recte accipi-tur: quia eo ipso fit liber: & ita quoque fieri potest vasallus 1. no. Alvarot. d. tit. 3. §. personam, & ibi Prapof. n. 1.

138. Quod si vero ita feudum detur, ut servi, & non Domini sit: nec servi, nec Domini erit.

139. Non servi: quia cum hic pro nullo habeatur l. quod attinet 32. D. de R. I. feudi capax esse nequit.

140. Non Domini: quia ita expresse datum fuit, ne Domini fieret. Quilibet autem rei sua liberrimus est ar-biter l. in re mandata 21. C. mand.

141. At feudum, Domini contemplatione servo da-tum, fit Domini, non servi: quia servus Domino acquirit in pr. tit. Inst. Per quas pers. nob. acquir. & quia servi persona, tanquam instrumentum intervenit. Nudum enim mini-sterium adhibet.

142. In dubio autem, si non aperte constat, cuius con-templatione feudum detur: non servo, sed Domino datum intelligitur: & ita non servo, sed Domino acquiritur: quia servus Domino, non sibi acquirit l. placet 79. D. de acq. her. Et hac de servis prisca seculi.

143. Nostri seculi servi, vocantur homines proprii, & nostra lingua, Leibeigene leutt.

C 144. Et

144. Et in his non utimur ante explicatis distinctionibus: quia hi alij sunt, quam servi antiqui, a quib, plurimum differunt.

145. Propria enim bona possident: & quicquid acquirunt, sibi, non Dominis acquirunt, no. Zas. lib. 1. singul. responf. c. 3. Gail de pignorat. c. 8. n. 2. & D. Vult. de F. lib. 1. c. 4. n. 7. §. non utimur.

146. Et propterea non dubitamus affirmare, proprios homines, feuda sibi data accipere, & retinere posse, no. D. Vult. d. loco. Et hac de servis secularibus.

147. Servi religiosi a nobis dicuntur Monachi: quia servis antiquis in multis comparantur, sec. Innocent. in c. cum olim, e. de privileg.

148. Et hi feuda accipere non prohibentur sec. Zas. de F. p. 5. n. 64. & Sonsbec. de F. p. 7. n. 23.

149. Est tamen diligenter videndum, an constet, Monacho contemplatione sui: vel contemplatione monasterij feudum datum esse: vel an hoc non constet.

150. Quod si Monacho contemplatione sui feudum est datum, iterum refert, an feudum dignitatem annexam habeat, an non habeat.

151. Si adjunctam habet dignitatem, ut si regnum, Ducatus, Marchionatus, vel Comitatus in feudum datur, nec monacho, nec monasterio hoc feudum acquiritur.

152. Non Monacho: quia in servire DEO, & secularibus negotijs se non immiscere debet, lib. 2. F. tit. 21. in fi.

153. Non etiam monasterio: quia hoc quaecumq, sit, tanti feudi vix capax esse videtur. Vix enim debita servitia prestare poterit, Huc fac. not. Clari in com. sent. in §. feudum q. 78. n. 3.

154. At si feudum nullam dignitatem adjunctam habet, non in monachum sed in monasterium, modo feudi capax sit, transit: quia non Monachus, veluti totus religioni destinatus, sed monasterium, per suos Officiales, debita servitia prestare potest, Clar. d. §. feudum. q. 78. n. 1.

155. Hoc tamen feudum tantum ad vitam monachi apud monasterium manet ut hanc sententiam communem & sine contradictore esse dicunt Clar. d. q. 78 n. 2. & Capic. decis. 10. n. 10. quia monachi contemplatione monasterio fuit acquisitum: ut monacho extincto, non immerito ad Dominum revertatur.

156. Quod si feudum, monasterij contemplatione, monacho datum est, id non tantum ad vitam monachi, sed perpetuo apud monasterium manet, Isern. lib. 2. F. tit. 3. §. personam: quia monasterium perpetuo durat: & semper per suos Officiales debita servitia prestare potest.

157. In dubio vero, ubi non certo constat cuius contemplatione feudum monacho datum sit, Bertachin. in verb. monachus acquirit. vers. vl. id respectu monasterij datum asserit: quia hac opinio favorabilior esse videtur: Et hac de maribus tam liberis, quam servis.

158. Fœminæ similiter ut mares, vel seculares sunt, vel religiose.

159. Seculares fœminæ, an feudi capaces sint, non immerito dubites.

160. Primo enim vasallus, a Domino vocatus comparere, & cum alijs vasallus versari cogitur. At publica honestas vix patitur, ut fœminæ virorum cœtui intersint.

161. Deinde feuda precipue ob militaria servitia dan-

tur: quæ à fœminis præstari nequeunt no. gl. lib. 1. F. tit. 1. §. hoc autem notandum, quam Alexand. cons. 10. n. 6. vol. 5. & Ruin. cons. 18. n. 13. vol. 1. communiter approbatam testantur.

162. Tertio Vasallus Domino fidelitatis iuramentum præstare tenetur lib. 2. F. tit. 6. & 7. cuius aliquot capita fœminæ vix servare possunt.

163. Non enim Domino benè consulere, non eius secreta custodire, & ei constanter adherere possunt: quia lubrica & inconstans mulierum natura repugnat, D. Vult. lib. 1. de F. c. 4. n. 3.

164. Verum his nihil obstantibus jure feudorum certum est, fœminas nova feuda accipere posse lib. 1. F. tit. 8. §. vl. & lib. 2. F. tit. 17. & tit. 30.

165. Et si enim antedicta in plerisque fœminis vera sint: tamen cum liceat cuique res suas, in quem velit, transferre d. l. in re mandata 21. C. mand. certè etiam Domino licere debet fœminis feuda concedere.

166. Et tum Dominus ijs gratiam fecisse intelligitur, ut per Substitutum feudalia officia præstare possint no. D. D. in dictis locis.

167. Itaque hac servitia à fœmina exigere nequit: sed potius sibi imputet, quod minus idoneæ personæ feudum contulit: Et hæc de fœminis secularibus.

168. Religiosas fœminas etiam nova feuda accipere posse censemus: quia hac conditione illis feuda data intelliguntur, ut per substitutum feudalia servitia præstare possint.

169. Ex quo Curt. jun. de F. p. 3. q. 10. affirmat, Moniales per substitutum iuramentum fidelitatis præstare posse.

170. Cum autem hoc usque de viris & mulieribus actum sit: non

sit: non immeritò quæri potest, quid de Hermaphroditis statuendum sit?

171. Hos Imp. Alexand. nec mares, nec fœminas esse dixit: non aliter ac Cornices, quæ neque inter Corvos, neque inter columbas numerari possunt.

172. Nos in his eorum sententiam probamus, qui hos feuda accipere posse existimant: idque secundum eum sexum, qui prævalet arg. l. queritur 10. D. de sta. hom.

173. Nam ex sexu prævalente, vel pro viris, vel pro mulieribus habentur d. l. queritur, & l. repetundarum 15. D. de testib.

174. Et propterea sicut cuilibet res suas, vel viris, vel fœminis dare licet, ut paulo ante ostendimus: meritò quoque Hermaphroditis dare licebit, no. Bald. in l. vl. C. de suis & legit. Et hæc de ijs qui suo nomine feuda accipere possunt.

175. Alieno nomine feuda accipere possunt Tutores, Curatores, Procuratores, & servi.

176. De Tutoribus & Curatoribus paulo ante egimus.

177. At Procurator, vel speciale, vel generale habet mandatum.

178. Vterque Domini nomine rectè feudum accipit. Ille quia ad id speciale mandatum habet.

179. At hic quia acceptio feudi generali mandato includitur, no. Sonsbecc. de F. p. 7. n. 24.

180. Imò si Tertius aliquis, sine ullo mandato, alterius nomine feudum accipit, rati habitione accedente valet: quia hæc mandato equiparatur, no. Sonsbecc. d. loco.

181. Tandem etiam servi, Dominorum nomine, feuda

accipere possunt: dum modò dantibus, eos seruos esse constet,  
lib. 2. F. tit 3. § personam.

182. In hac tamen acceptione non persona serui: sed  
Domini inspicitur: quia huius nomine feudum datur, & ac-  
cipitur, de quo sup. thesi 141. cum seq.

AD NOBILEM, INGENIO,  
ERVDITIONE, ET VIRTUTE PRÆSTAN-  
tem Ioannem Georgium à Ribbeck. amicam,  
popularem ac fratrem conjunctissi-  
mum suauissimum.

Siccine consurgit tibi nomen majus ab arte,  
Qui dudum antiquo stemmate magnus eras?  
Siccine lætitiã matri? sed stirpe propinquis  
Nomina nominibus splendidiora paris?  
FEVDORVM perplexa satis, dum Præsidi magno  
OBRECHTO exolvis jura, quod artis opus.  
Mactè igitur, fac, arte piã tibi nobile nomen  
Crescat; avis, pro avis, nobilis ipse, tuis.  
Mactè, inquam, nectit jam sertum gloria sua ve  
Intemerata tibi, quod sine morte decus.

Ioannes à Kötteritz Junior.  
Marchiacus.

AD IV

AD IUVENEM EXCELLEN-  
TIS ANIMI ET VIRTUTIS IANVM GE-  
orgium à Ribbeck, nobilem Marchicum  
respondentem, fratrem & conter-  
raneum vnicè carum.

GERmine qui florens jam dudum stirpis avitæ,  
Ingenij amplifies dotibus ipse genus?  
Dum vario, exolvens feudalia, compede, jura,  
Ductore Obrechtò clara referre paras;  
Nil mirum: Fruticem flos ornat: gentis honorem  
Sic tibi quod doctã crevit ab arte decus.  
Perge modo virtus quò te trahit inclyta, & artis  
Quò decus, & cœli tolle per astra caput.  
Nil erit antiquo splendescere stemmate, si non  
Ipsa simul virtus pectore juncta micat.  
Scilicet hinc splendor: quæ surgunt nomina ab auro  
Sunt peritura brevi; parta sed Arte manent.

Volgangus Theodorus  
à Rochou.

FINIS.